



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid hoc praecepto Deus praecipit & exigit à nobis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

est in mundo, grauiſſimè contra Dei præceptum peccat, &c. Est enim, inquit Gerson, grandis tēratio boli, qua facit vt homo alterius concupiscat statum, domum, officium. religiosi volunt statum habere, & secularis religiosorum &c. Nemo concupiscat rem proximi sui: quia quilibet peret naturaliter manere in sua domo, suo statu & officio, ideò & hoc faueas proximo tuo. Sic Christus Ioan. 21 dixit, tu me sequere. quid ad te Ioannes, quid faciam cum Petro? Quare quisque ambulare debeat secundum vocationem suam, 1. Corint. 7.

DECIMUM DEI PRÆCEPTUM, Non concupisces vxorem proximi tui.

CAPVT XXIII.  
ARGVMENTA.

1. *Quid hoc præcepto Deus præcipit & exigit a nobis.*
2. *Quomodo transgressores huius præcepti puniuntur.*
3. *Quòd serui & ancilla non debent credere male detractoribus, & qui eos alienare vult à suis dominis: nam & Deus illos punit.*

1.



Quoniam Deus omnia creauit, & illa sunt cœlum & terra, & omnia quae in eis sunt, Psalm. 145. ipse enim verus Dominus: Deinde quoniam ipse diligit bonum suum, id est, bona & diuitias, propter quod ipse vult. Si enim Matth. decimo dicitur murmurantibus, Nonne mihi licet facere de meo, quod vult?



tolle quod tuum est, & vade &c. Ideò si nūc hoc Deus distribuit proximo tuo, tu debes esse contentus, & nō concupiscere alterius bonum, nec id inuidere ei, quia Deus hoc illi & non tibi concessit, nec ei nocere, aut damnum inferre quouis modo vel in substantia, vxore, familiaribus, domesticis. Qui enim hoc agit, is arguit Deum, quasi non sit æquus & iustus distributor bonorum & donorum suorum, sed vult ipsum docere quomodo bona sua expendat. Ideò prohibet hic Deus concupiscentiam omnium rerum in parte & in toto contra proximum. Ne concupiscas, aut dolò vel fraude tibi vsurpes vel quocunque titulo specioso aut forma, sed sis sorte tua contentus: hæc humilitas maximè D E O placet, atque etiam exigitur. Ideò quod Deus in toto prohibuit præcedenti præcepto, id est, donum proximi vel totā domesticam rem vel officium vel statum, nunc in priuato etiam concupisci prohibet, vt vxorem, seruum, ancillā, bouem, equum proximi: nec quis dicere debet, solam partem cupio rerum proximi, non totum, nihil vicino meo tantillum nocet: est alioqui satis diues & cæt. Ideò quicquid Deus proximo tuo dedit, nec totū nec partem de illo concupiscere debes.

Secundò, concupiscere bona proximi in vanum 2. fit: nec enim ideò habemus, quia concupiscimus, etsi per fas & nefas illud ad nos traxerimus, nihil tamen prodierit, sed plus nocebit, & melius foret quòd nunquam vidissemus in illa proximi bona: nā Deus nullo pacto relinquit hoc peccatum impunitum. Sicut Dauidi 2. Regum 11. nihil proderat, quòd alienam vxorem, id est, Vriæ concupierat & tenuerat: fuit enim paulò post sic punitus, vt filius eius Absalon omnes mulieres Dauidis publicè dehonestaret: & præterea persequebatur patrem, cupiēs eū occidere, 2. Reg. 16. Quid profuit Achab, quòd vineam alienam ipsius